

[7rb]: Utrum formalis beatitudo hominis sit fruitio creatae nostrae voluntatis.

Arguitur primo quod non, quia actus intellectus scilicet cognitionis divine est formalis beatitudo hominis. Igitur non actus voluntatis, qui est fruitio. Patet consequentia, quia actus cognitionis differt ab actu fruitionis et ab ipso separari potest. Et sic differunt realiter. Due autem res realiter distincte non possunt esse una forma vel formalis beatitudo. Antecedens est verbum Christi, Iohannis, 17, dicentis. “Hec est vita eterna ut cognoscant te etc.”

Ad oppositum arguitur quod ipsa beatitudo consistat in actu voluntatis formaliter: et non in actu intellectus sic illius potentie actus est formaliter beatitudo in cuius potentie actu formaliter consistit meritum: sed meritum formaliter consistit solum in actu voluntatis, igitur. Maior patet, quia aliter non esset iusta retributio [7va] si alteri potentie daretur premium formaliter quam illi que metuit illud maxime si premium illud recipere non sibi repugnet. Minor patet per Magistrum libro 2, distinctione 27.

Pro solutione quaestionis pono tres conclusiones.

Prima conclusio est quod formalis beatitudo hominis est actus create voluntatis. Probatur tripliciter. Primo sic: supposito, ut omnes concedunt, quod formalis beatitudo consistit in actu secundo, tunc arguo sic: in illo actu consistit formaliter beatitudo hominis qui est eius actus secundus perfectissimus. Sed actus voluntatis puta quo Deum diligit propter se est huiusmodi, igitur. Minor patet, quia cum hominis beatitudo formalis sit summa etiam perfectio: oportet quod sit etiam actus perfectissimus. Minor probatur, quia ille actus hominis est perfectior qui Deo et homini secundum rectam rationem est acceptatior. Sed actus voluntatis est huiusmodi. Maior patet de se, et minor apparet, quia actus dilectionis Dei est Deo magis acceptus quam actus cognitionis quo aliquis ipsum cognoscit, tum quia dilectio est in libera potestate, sed non cognitio, tum quia dilectionem acceptat ad meritum et premium et non cognitionem. Iste actus etiam dilectionis magis est acceptus homini secundum rectam rationem quam actus cognitionis, unde ille sibi precipitur et iste non per illum acceptatur, per istum non. Et confirmatur ratio, quia si per impossibile posset separari actus dilectionis ab actu cognitionis sicut econverso dilectio secundum rectam rationem esset magis acceptabilis quia talis dilectio Dei de se esset virtuosa, et quanto intensior, tanto virtuosior. Econverso autem de cognitione sine dilectione, quia si aliquis Deum cognosceret et non diligeret ex hoc non esset virtuosus, sed viciosus et quanto intensior esset cognitio, si non diligeret tanto magis foret vituperanda. Cum igitur Deus solum in nobis magis acceptet quod est melius et perfectius simpliciter et absolute: et magis acceptat actum voluntatis quam intellectus. Sequitur quod actus voluntatis est perfectior, igitur.

Secundo arguitur: in omnibus essentialiter ordinatis ad eundem finem ultimum id quod propinquius se habet ad finem est simpliciter perfectius, sed actus intellectus et voluntatis essentialiter ordinantur ad eundem finem ultimum, et actus voluntatis est propinquior et immediatior cum ultimo fine quam actus intellectus, igitur.

Maior patet in aliis actibus secundis, ut puta vivere, sentire intelligere, quia enim intelligere immediatius attingit ultimum (7vb) finem quam sentire: ideo est perfectior actus quam vivere. Hoc etiam patet de gradibus in eadem forma quod ultimus est perfectior aliis. Minor probatur, quia quamvis actus intellectus et voluntatis dum sunt imperfecti, possunt esse circulares sic quod intellectus intelligat aliquid: ut voluntas illud velit et iterum voluntas illud

velit intelligi, ut perfectius ametur. Ista tamen circulatio non potest procedere in infinitum alias nunquam esset perfecta cognitio obiecti beatifici, sed semper cresceret in infinitum. Ergo est status et hic status erit ad actum voluntatis, quia ultimam dilectionem perfectam finis non sequitur cognitio perfectior quam precesserit: quia, si sic, cum illa dilectio fuerit adequata cognitioni precedenti posset haberi cognitio de fine ita intensa quod sibi nunquam dilectio posset adequari ut tantum intensive diligeretur finis quantum cognosceretur, quod est falsum.

Igitur oportet quod perfectissima cognitio finis precedat perfectissimam dilectionem postquam est status ad talem dilectionem. Igitur talis dilectio immediatius coniungitur fini quam talis cognitio, quod erat probandum. Et confirmatur ratio, quia actus intellectus est propter actum voluntatis, et non econverso, ita quod actus voluntatis est aliquantulum finis ipsius actus intellectus. Unde Anselmus, *Cur Deus homo*, in principio: “Ad hoc accepit creatura rationalis potestatem discernendi: ut odiret et vitaret malum et amaret et diligeret bonum atque magis bonum magis amaret. Aliter namque frustra dedisset ei Deus potestate istam discernendi, quia in vanum discerneret si secundum discretionem non amaret” - hec ille. Ex quibus verbis habetur expresse quod actus intellectus est propter actum voluntatis. Item quia vanus esset actus intellectus si non adesset voluntatis operatio. Certum est autem quod actus qui de se formaliter est vanus non est formaliter summum bonum creatum hominis. Igitur relinquatur quod tale bonum sit actus voluntatis.

Tertio sic: ille actus est formaliter beatitudo hominis in quo stat hominis finalis premiatio. Sed actus voluntatis est huiusmodi, igitur.

Maior patet, quia finalis premiatio hominis est eius beatitudo, sicut finalis punitio damnatorum est eorum damnatio. Maior patet per beatum Augustinum 31 epistola, et est ad Deo gratias presbiterum que epistola continet 4 quaestiones et in 4 quaestione, parum ante finem, dicit Augustinus sic: “Voluntate quippe metietur bonus homo bona facta et in ea metietur ei beatitudo et in voluntate propria metietur malus homo opera mala, in ea metietur ei miseria, quoniam ubi quisque bonus est cum bene vult, ibi etiam malus est cum male vult”.

Item hoc dicit Hugo De sacramentis libro 2, parte 14, capitulo 6, ubi loquens de voluntate nostra dicit hominis voluntas, sive ad bonum, sive ad malum, sola remuneratur. Hec autem dictio exclusiva quando dicit quod sola voluntas remuneratur, non excludit ab esse anime, nec ab intellectu, nec a corpore beatitudinem per redundantiam. Igitur solum ibi est exclusio per formalem inhaerentiam, quia beatitudo formalis solum est in actu voluntatis. Istam conclusionem sic intelligo non excludendo actum intellectus, quia et si ipsa beatitudo hominis creata consistat integraliter in utroque actu, scilicet intellectus et voluntatis, ut dicit decretalis domini Benedicti, tamen dico quod consistit formaliter in actu voluntatis, sed materialiter in actu intellectus, quo quidem actu intellectus obiectum beatificum habet presens subtili dispositione, ut voluntas per suum actum possit se in ipsum quantum possibile est transformare. Ex ista conclusione et eius probationibus sequitur quod actus voluntatis est perfectior actu intellectus.

Sed contra conclusionem et eius correlativum arguitur tripliciter. Primo sic: perfectissima operatio anime est formalis eius beatitudo. Sed perfectissima operatio anime est actus intellectus, scilicet cognitio summi veri, igitur.

Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur, quia illa operatio anime est simpliciter perfectissima que est circa obiectum simplicius et spiritualius et magis abstractum. Patet statim, quia actio nobilitatur ab obiecto: propter quod vult Philosophus 1 Metaphisice quod

demonstrationes arithmetice sunt perfectiores et potiores geometricae, quia numeri de quibus arithmetica simpliciores sunt magnitudine de qua est geometria. Cognitio summi veri est circa obiectum simplicius et spiritualius et magis abstractum quam sit actus voluntatis puta dilectio summi boni. Patet, quia intellectio rei est rei prout habet esse in intellectu vel prout habet esse in se sed simplicius et magis abstractum habet esse res in intellectu quam extra intellectum ut in se, igitur.

Et confirmatur, quia verum quod est obiectum intellectus est magis abstractum et simplex quam sit bonum quod est obiectum voluntatis, et tota virtus dicti stat in hoc quia verum quod est obiectum intellectus stat in anima bonum, aut quod est obiectum voluntatis est in re.

Secun (8rb) do sic ille actus est nobilior qui viliori se minus inficitur, sicut patet de luce et aere quando transeunt per loca fetida quod lux est perfectior entitas, quia minus inficitur, sed intellectus minus inficitur intelligendo viliora se ut corporalia quam voluntas diligendo inferiora se, igitur etc.

Hinc est quod Deus cognoscit omnia et peccatum enim tamen diligit peccatum, quia voluntas inficitur diligendo vilia. Igitur si actus intellectus est nobilior actu voluntatis, ipse erit formalis beatitudo hominis.

Tertio sic: ille actus est nobilior et perfectior per quem potentia in se nobiliter perficitur. Sed tale est intelligere respectu intellectus quam velle respectu voluntatis, igitur.

Minor probatur, quia intellectus perficitur per intelligere rei nobilis existentis in intellectu, non sic voluntas per velle, quia per velle perficitur voluntas ut compatatur ad rem nobilem existentem extra, nunc autem perfectius et nobiliter simpliciter et absolute est habere in se rem nobilem quam ad rem comparari nobilem extra se.

Igitur simpliciter et absolute perfectius perficitur intellectus per intelligere quam voluntas per velle respectu rei nobilis et simplicissime.

Et confirmatur, quia perfectior operatio est illa que est circa obiectum unitum operanti quam illa que est circa obiectum non unitum. Amor autem potest esse circa obiectum non unitum amanti, non autem visus. Igitur, visio est simpliciter perfectior.

Ista autem pars, scilicet quod visio sit formalis beatitudo potest multis auctoritatibus confirmari. Primo auctoritate Christi, Iohannis, 17, *hec est vita eterna ut cognoscant te*. Secundo auctoritate Augustini dicentis Super genesim capitulo 10 "summa felicitas est habere quod amas. Item 83 questionibus, quaestione 35, nihil aliud est habere Deum quam nosse Deum, et infra quicquid a mente habetur noscendo habetur. Item 1 De trinitate, capitulo 10, dicit quod viso faciei ad faciem est summum premium quod promittitur iustis. Item Philosophus 10 Ethicorum, capitulo 8, ponit summam felicitatem in operatione intellectus speculativi.

Ad ista respondetur. Ad primum, cum dicitur quod perfectissima operatio est eius formalis beatitudo, concedo, sed nego minorem. Ad probationem, quia operatio intellectus est circa obiectum simplicius et abstractius etc., Dico quod verum est de re que abstractius concipi potest quam est in se ipsa. Talis autem res non est Deus, immo ita simplicissime existit in se ipso sicut in intellectu nostro, immo si compositiori modo posset Deus existere uno modo quam alio dicerem quod compo- (8va) sitioni modo existit in intellectu nostro quam in se ipso.

Ad confirmationem, quando dicit quod obiectum intellectus est simplicius etc., dico quod ita simplex est obiectum intellectus, scilicet verum sicut voluntatis, scilicet bonum, et e converso, et dico etiam quod verum scilicet incomplexum, quod est obiectum primum intellectus ita est extra intellectum sicut bonum quod est primum obiectum voluntatis est extra

voluntatem, et sicut intellectio veri consistit in intellectu ita volitio boni est in voluntate et de hoc habetur expressius infra scilicet libro 1, quaestio 26, conclusione 3.

Ad secundum quando dicitur quod ille actus est nobilior etc., concedo maiorem. Ad minorem dico quod circa quodcumque obiectum minus potest voluntas infici volendo illud vel nolendo quam intellectus intelligendo quodcumque quod sic patet, quia circa bonum voluntas per actum affirmativum non inficitur, immo magis perficitur quam intellectus, quia virtuosius est velle bonum quam intelligere, similiter circa malum perfectius potest habere voluntas per actum suum negativum, scilicet per nolle, quam intellectus per aliquem actum suum. Patet, quia maioris perfectionis est nolle malum quam sit intelligere vel non intelligere malum, modo in argumento solum accipitur actus voluntatis positivus quo vult malum, quia igitur voluntas perfectiori modo se habere potest circa ens quodcumque volendo illud si sit finis, vel in finem ordinatum, vel nolendo illud si deordinatur a fine quam intellectus solum intelligendo ideo voluntas simpliciter est perfectior potentia et per consequens non propositum argumenti, sed oppositum sequitur.

Ad tertium breviter dico ad materiam argumenti quod obiectum primum voluntatis ita est praesens voluntati sicut obiectum primum intellectus est in intellectu praesens. Item dico quod obiectum primum intellectus ita est extra intellectum sicut obiectum primum voluntatis est extra voluntatem, ut patet in solutione confirmationis prime rationis, et ideo dico quod sicut obiectum intellectus est sibi unitum ita et voluntatis. Item dico de volitione beatifica de qua est sermo quod ipsa ita praesens habet obiectum beatificum sicut ipsa visio vel ita bene presentatur obiectum beatificum voluntati sicut intellectui, licet intellectui per intentionem et voluntati per volitionem.

Ad confirmationem dico similiter et consequenter dico ad auctoritates. Primo ad auctoritatem Christi dicentem hec est vita eterna etc., dico quod cognoscere (8vb) Deum nude est quedam vita eterna secundum quod intelligere est quoddam vivere et quia beatus quilibet eternaliter videbit ideo visio sua est vita eterna quedam; similiter dico quod amare Deum beatifice est quedam vita eterna secundum quod amare est quoddam vivere et tunc dico quod cognoscere Deum est vita eterna. Et si inferas: igitur cognoscere est formalis beatitudo, nego consequentiam, sicut tu mihi negares istam amare Deum est vita eterna, igitur amare est formalis beatitudo.

Ad Augustinum dico quod "summa felicitas est habere quod amas" concedo, sed dico quod Deus non solum habetur per actum intellectus, quamvis sit prius natura praesens intellectui quam voluntati in ratione obiecti cum hoc tamen perfectiori modo habetur per actum amoris quam per actum cognitionis, quia amor facit quod habetur ut quasi idem ipsi amanti secundum quod amans se transformat in amatum se immergendo in ipsum.

Ad aliud dictum Augustini, quando dicit "quicquid habetur a mente noscendo habetur" dico: quicquid a mente habetur cognitione habetur per nosse similiter quicquid habetur a mente amative habetur per amare et multo fortius est habere summum bonum amative quam cognitive. Vel aliter dico scilicet quicquid a mente habetur cognitive habetur, dico quod verum est antecedenter, quia etiam nihil amatur nisi cognitum vel etiam formaliter de habitione cognitionis. Ad aliud dictum Augustini, <qui> dicit quod visio est summum premium, dico sicut ad primum, vel aliter possum dicere ad primam auctoritatem Christi et ad istam quod non est predicatio formalis visio Dei est vita eterna, similiter nec ista visio est summum premium sed est predicatio per concomitantiam sicut illa corruptio unius est generatio alterius et

econverso, quia sicut ad corruptionem est unius naturaliter sequitur generatio alterius, sic sante lege ad visionem claram sequitur vita eterna, similiter et premium eternum et in tantum ista se adinvicem consequuntur quod frequenter indistincte sancti de eis loquuntur.

Ad auctoritatem Philosophi dico quod accipit operationem intellectus speculativi prout comprehendit omnem operationem anime intellective, scilicet cognitionem et visionem. Vel melius si aliter intelligit, quod in ista materia non sibi multum debet credi.

Secunda conclusio est quod formalis beatitudo hominis est amor create voluntatis immediate terminatus ad essentiam deitatis. Ad cuius intellectum est sciendum (9ra) quod licet precedens conclusio dicat quod beatitudo formalis est actus nostre voluntatis, non tamen potest intellegi de omni actu nostre voluntatis nam actus voluntatis nostre alius est affirmativus, scilicet velle, Aalius negativus ut nolle, actus autem negativus non potest esse formalis beatitudo, quia voluntas per talem actum circa obiectum nolitum magis tristatur quam delectetur.

Item actus affirmativus est duplex, scilicet quidam nondum habiti, hic dicitur desiderare et, quia talis non quietat voluntatem, ideo non est beatificus, alius est respectu habiti qui proprie dicitur amare, et talis est actus beatificus. Item nota quod non omnis amor respectu habiti in beato est actus beatificus: nam in ipso est quodam amor immediate terminatus ad creaturam quo scilicet diligit se videre Deum, et quia talis amor vel delectatio qua delectatur in visione habita deitatis immediate terminatur ad creaturam ideo non est formalis beatitudo. Alius est amor in ipso qui immediate terminatur ad essentiam deitatis scilicet amor quo beatus diligit Deum, et in ipso delectatur et iste est formalis beatitudo.

Istam igitur conclusionem sic intellectam probo tripliciter. Primo sic: ille actus qui ex natura sua specifica ad nullum alium actum ordinatur, sed tantum ad obiectum beatificum est formalis beatitudo hominis, sed actus voluntatis beati quo Deum diligit et in ipso complacet ultimate et delectatur est huiusmodi, igitur.

Apparet maior, quia actus qui ex natura sua ad alium actum est ordinabilis non habet rationem ultimi finis formalis, et per consequens nec actus beatifici, cum actus beatificus sit ultimus finis formalis, sicut obiectum beatificum est ultimus finis obiectalis: sed minor de se patet, quia si beatus interrogaretur quare diligit et delectatur in Deo, statim diceret quod propter ipsum Deum, quoniam sic decet.

Secundo sic, ille actus qui est potissimus actus caritatis est formalis beatitudo hominis, sed complacere in Deo ultimate et ipsum diligere est huiusmodi igitur.

Tertio sic, ille actus est formalis beatitudo hominis quo Deus a rationali creatura ultimate attingitur, sed complacere delectari in Deo est huiusmodi, igitur.

Probat minor, quia iste actus secundum rectam rationem a creatura rationali ultimate desideratur et non actus visionis Dei. Debet enim beatus desiderare visionem Dei ut ex hoc in bono divino magis valeat complacere et gaudere, sed non econverso non optat complacere in Deo ut ipsum magis videat.

Contra conclusionem arguitur tripliciter, scilicet probando quod formalis beatitudo sit delectatio de beatifica visione. Et primo sic quod non habeat Deum immediate pro obiecto. Primo sic: illud est formali beatitudo hominis quod succedit desiderio viatoris. Sed desiderium viatoris est respectu habitationis divine, non respectu Dei absolute. Non enim desideramus Deum absolute, sed habere vel videre ipsum. Igitur nec formalis beatitudo est delectatio de Deo absolute, sed est delectatio de Dei visione vel habitione.

Secundo sic: nullus amor concupiscentie fertur immediate super rem, sed super rei habitationem. Sed formalis beatitudo est amor concupiscentie. Igitur et ille amor non fertur immediate super Deum, sed super hominem vel visionem Dei. Maior apparet exemplo qui enim diligit vinum et concupiscit ipsum huius delectationis obiectum non est vinum, sed usus vini, qui est actus gustativus, et maior apparet, quia formalis beatitudo cum sit delectatio de Deo non inquantum Deus est, sed inquantum habitus sequitur quod talis formalis beatitudo sit in beato Dei dilectio ut Deus est sibi bonus, et per consequens quod sit amor concupiscentie.

Tertio sic omnis amor habet aliquod complexum pro obiecto sed formalis beatitudo per se est amor, igitur. Sed Deus sic absolute sumptus non est quid complexum. Igitur illius formalis beatitudo non potest esse obiectum. Maior probatur, quia voluntas in actu suo sequitur actum intellectus componentis et dividens, et talis voluntati solum proponit aliquid ut est conveniens ad prosequendum vel disconveniens ad fugiendum; quodlibet autem tale sic propositum est quoddam complexum.

Respondeo ad primum: cum dicitur quod formalis beatitudo succedit desiderio, dico quod hoc potest dupliciter intelligi: uno modo quod viator antequam habeat statum beatificum ipsum desideret, et sic concedo et tunc nihil ad propositum. Alio modo (9va) quod formalis beatitudo est solum amor illius quod hic desideratur cum modo quo desideratur, et sic nego quia actus desiderii non attingit immediate ipsum absolute, sed habitationem eius. Non sic autem est de formali beatitudine etc.

Ad secundum nego minorem, quia ut statim dicitur in conclusione subsequente formalis beatitudo non est amor concupiscentie, sed amicitie.

Ad tertium nego maiorem, licet enim omne desiderium habeat aliquod complexum pro obiecto, quia vel prosecutionem boni vel fugam mali, non tamen est verum de omni amore amicitie. Ad probationem dico quod aliquando actus intellectus presentat voluntati obiectum prout est perseguibile vel fugibile. Aliquando autem simpliciter solum, ut bonum sub ratione boni, et tunc non presentat obiectum ut complexum.

Tertia conclusio est quod formalis beatitudo hominis est amor amicitie et non concupiscentie nostre voluntatis sic intelligendo conclusionem, quia licet dicat precedens conclusio quod amor qui est formalis beatitudo immediate terminatur ad Deum, tamen talis amor potest esse duplex.

Unus quo Deus amatur propter bonum amentis, et hic est amor concupiscentie, alius quo Deus amatur propter ipsius Dei bonitatem, hoc est quia in se ipso bonus est et iste est amor amicitie, et talis amor est formalis beatitudo, quia voluntas beati amat Deum et in ipso delectatur non propter suam ex hoc utilitatem, sed propter ipsius Dei immensam bonitatem. Probatur ista conclusio tripliciter.

Primo sic: ille actus est perfectior simpliciter qui sic est bonus quod non potest esse malus, sive immoderatus illo qui potest esse malus sive immoderatus, sed dilectio Dei propter se non potest esse mala, nec immoderata.

Amor autem concupiscentie quo diligo Deum ut bonum mihi et commodum meum potest esse malus et inordinatus, ut patet de primo angelo malo. Potest enim aliquis appetere Deum ut bonum suum ultra mensuram. Cum igitur in actu perfectiori consistat beatitudo sequitur quod talis amor amicitie est formalis beatitudo.

Secundo sic: formalis beatitudo hominis habet obiectum nobilissimum nobilissimo modo consideratum, scilicet ipsum Deum. Igitur talis beatitudo est actus amoris amicitie et non

concupiscentie. Consequentia patet, quia amor concupiscentie quo Deus (9vb) amatur habet Deum pro obiecto ut est bonum ipsi amanti et commodum. Amor autem amicitie habet ipsum Deum pro obiecto, ut ipse Deus est bonus in se et propter se. Certum est autem quod obiectum beatificum, scilicet Deus consideratus in se absolute et propter se perfectiori modo est quasi consideratus precise ut bonum nostrum. Antecedens apparet, quia formalis beatitudo est actus perfectissimus in nobis.

Tertio sic: formalis beatitudo immediate et ultimate terminatur ad ipsum Deum, igitur talis beatitudo erit actus amoris amicitie et non concupiscentie. Antecedens patet, quia cum formalis beatitudo sit actus debite ordinatus ultra finem ultimum, alium non querit, et quod immediate patet per precedentem conclusionem. Consequentia nota, quia talis est amor amicitie, sed non amor concupiscentie, qui ultra Deum alium finem habet ulteriorem, quia diligit ipsum Deum propter bonum ipsius amantis. Ista conclusio videtur de intentione magistri, qui dicit in littera diffiniendo beatitudinem formalem quod frui est amore inherere alicui rei propter se ipsam.

Contra conclusionem istam arguitur tripliciter. Primo sic: ille actus est formalis beatitudo hominis quo voluntas ultimate quietatur, igitur. Antecedens de se patet, sed consequentia nota, quia in amore quo voluntas diligit Deum propter se non quietatur ultimate, sed in amore quo Deum diligit ut ab ipso et clare visus et summum bonum ipsius et talis est amor concupiscentie, igitur.

Secundo sic: formalis beatitudo hominis est eius formalis premiatio. Igitur patet antecedens et consequentia nota, quia dilectio Dei propter se non est voluntatis premium, sed dilectio Dei ut habitus est a voluntate. Et tali est amor concupiscentie, igitur.

Tertio sic: formalis beatitudo hominis presupponit necessario cognitionem et habitationem ipsius Dei, igitur. Antecedens patet in expositione prime conclusionis. Consequentia patet, quia si

sic, tunc talis amor Dei qui est formalis beatitudo solum erit amor Dei non ut Deus est absolute, sed ut habitus et clare cognitus et ut utilis amanti. Talis autem est amor concupiscentie, igitur.

Respondeo. Ad primum dico quod ille actus est formalis beatitudo hominis in quo homine ultimate quietatur ex principali intentione. Sed sego minorem.

Ad secundum dico quod talis dilectio Dei propter se est quedam ipsius mentis in Deo (r10a) delectatio et est hominis premiatio.

Ad tertium dico quod licet talis amor presuponat habitum ipsius Dei, non tamen ex hoc principaliter terminatur ad Deum quia habitus est, sed quia in se bonus existit.

Ad argumentum factum in oppositum, patet ex solutione prime auctoritatis adducte contra primam conclusionem etc.